

nonum Apostolorum, quos Græci numerant octuaginta quinque, Latini quinquaginta tantum. De horum Canonum auctore, collectione, authenticitate et auctoritate, vid. verb. *Apostolus* n. 15, 16 et 34 ad 42, præsertim vero doctissimam Hieronymi Ballerini dissertationem De antiquis Canonum collectionibus. (18. Post Canones Apostolorum alia est collectio, cujus mentio habetur in Concilio Chalcedonensi. Hæc fortasse initio tantum Canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses atque Gangrenses comprehendit; verum postea ei variis additionibus locupletata, etiam Canones Antiocheni, Chalcedonenses, Constantinopolitani, Laodiceni accesserunt; ac medio vi sæculo Ephesini additi sunt. (19. Denique Joannes cognomento *Scholasticus* Presbyter Antiochenus, deinde Justiniano Imperatore, Constantinopolitanus Patriarcha, novæ collectionis auctor fuit, quam in quinquaginta titulos distribuit. In ea leguntur Canones Apostolorum 85, Nicæni 20, Ancyrani 25, Neocæsarienses 14, Sardicenses 21, Gangrenses 20, Antiocheni 25, Laodiceni 59, Constantinopolitani 6, Ephesini 8, Chalcedonenses 27, et Canones 68, ex epistolis S. Basilii desumpti. Joannes idem *Scholasticus* *Nomocanonem* etiam edidit in titulos quinquaginta divisum, ac per materiam distinctum, adjectis legibus præsertim ex Codice et Novellis Justiniani eductis. (20. De cæteris apud Græcos Canonum collectionibus Photii, Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini, Arsenii, Harmenopoli, vid. Joann. Doujat., *Prænot. canon.*, lib. III, cap. 6; Jos. Anton. Brunum. *Introduzione alla Giurisprudenza Canonica*, part. IV, cap. 1, § 3; Justell. et Voell. *Biblioth. canon.*, tom. II.

(21. Serius Latina Ecclesia Canonum collectionibus est usa, cum ante Nicenam Synodum Traditionis et Sacræ Scripturæ regulis moderaretur: habita vero Nicææ Synodo, ejus Canones latine redditi sunt, quibus una cum Sardicensibus uti cepit. Ballerini, de Antiqua collectione. Latinis, Quesnell. De codice Canon. Rom. Eccles. Lapsu temporis Græcorum codex privato studio latine redditus est, et ante Dionysianam collectionem duæ præsertim exstiterunt versiones, *Isidoriana* nempe ex Isidori collectione vulgata, et *Prisca*.

(22. Celeberrimum in rem nostram Dionysii Exigui opus est collectio Canonum et Constitutionum Sedis Apostolicæ. Fuit vero Dionysius instituto Monachus, natione Seytha, domicilio Romanus, cujus quanta esset in Græcis, Latinisque litteris peritia, ac in studio totius sacræ eruditionis celebritas, satis exposuit Cassiodorus, qui eo familiariter usus, post ejusdem mortem circa annum 556, insigne de eo testimonium inseruit libro de Divinis lectionibus, cap. 23. Hæc Canonum collectio in partes duas distinguitur; quarum altera Synodorum Canones, altera Romanorum Pontificum epistolas complectitur. Hæc serius in lucem venit, et epistolas comprehendit Pontificum a Siricio ad Anastasium II usque. Novam vero Græcorum Canonum versionem, quam ipse absolvit, usu celeberrimo, ut inquit Cassiodorus,

Ecclesia Romana tunc temporis amplexa est. Dionysii collectionem additionibus auctam Carolo M. Francorum Regi Romæ tradidit Adrianus I, Pontifex Maximus; quapropter *Adriana* vocatur, et quamdam Apostolicam auctoritatem obtinuit, et passim *Codex Canonum* nuncupari cepit.

(23. Celebrantur etiam collectiones Africanæ, Hispanicæ, Gallicanæ, quæ plures numero sunt, et in his fere integra referuntur Ecclesiastica monumenta, habita ratione temporum. Non defuerunt tamen, qui breviter et summatis Canonibus redderent, et in certos titulos distribuerent: inter quos primum obtinet locum Fulgentius Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, qui collectionem suam *Breviationem Canonum* appellavit.

(24. Eadem, qua Ferrandus, ætate florebat Martinus Bracarenensis Episcopus, cujus percelebris est collectio Canonum, seu capitulorum; quorum pars altera respicit Episcopos, Clericumque universum, altera, quæ ad laicos pertinet, complectitur. (25. Deinde Cresconius Africanus Episcopus majorem collegit Canonum copiam, atque *Breviarium Canonum et Concordia*, sive *Librum Canonum* edidit.

(26. Præter cæteras, quæ diversis locis lucubratae fuerunt Canonum collectiones, digna est ut diligentius exponatur collectio Isidori *Mercatoris* aut *Peccatoris*, ob quam magnæ excitatae sunt turbæ, ex eo quod Isidorus veris, quæ ex collectionibus Hispanica, Adriana, aliisque excerpit, falsa non pauca monumenta admiscuit, quæ vel ipse confixit, vel ab aliis conficta litteris mandavit. Continet hujusmodi collectio præter quinquaginta Canones Apostolorum ex Adriana collectione, epistolas Romanorum Pontificum a Clemente usque ad Silvestrum, quarum omnium ipse Isidorus auctor fuit, exceptis duabus Clementis ad Jacobum litteris; tum Canones plurimum Conciliorum, in quibus falsa habetur Constitutio Constantini ad Silvestrum; postremo Pontificum litteras ab ipso Silvestro ad Gregorium M. aliis cum epistolis ac monumentis, quorum pars ex aliis collectionibus sumpta vera est atque germana, præter epistolas omnes Pontificum Siricio antiquiorum ab Isidoro confictas, exceptis S. Damasi ad Paulinum litteris, pars altera cum actis Concilii Romani sub Julio et Concilii I, V et VI, sub Symmacho, excogitata et inventa est. Item conficta sunt capitula falso Adriano I, Pontifici, et Angilramno Metensium Episcopo tributa, eaque post falsas Isidorianas decretales proderunt. Quamvis Isidori collectio usum atque auctoritatem aliquando obtinuerit, tamen hodie clara, et non suspiciosa est falsitas decretalium ac monumentorum, quæ ex penu Isidori educta sunt.

(27. Plures deinde secutæ sunt collectiones, quarum non eadem omnium methodus fuit. Et præter *Collectionem Canonum Pontificalium*, cujus incertus est auctor, memoratu dignæ sunt collectiones Reginonis Monachi Benedictini, qui opus edidit *de Ecclesiastica Disciplina et Religione Christiana*;

Sæc. XI. Burchardi Wormatiensis *Magni decretorum voluminis* auctoris; Anselmi Lucensis, cui tribuitur *Authentica et compendiosa Collectio Regularum, et sententiarum SS. Patrum, et authorabilium Conciliorum*, denique Ivonis Carnotensis, qui *Excerptio-*

CANONICATUS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Quid sit Canonica, seu Canonica, et Canonicus? et unde dicatur.*

1. Canonica vulgo *Canonicatus* est Jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in Fratrem, seu *Canonicum*. — 2. Hoc Jus spirituale, quod præbet Canoniam, consistit primo in Jure habendi in Choro sedem, et vocem in Capitulo. — 3. Secundo consistit in hoc, ut quam primum facultas sese obtulerit, Canonico eandem Canoniam legitime obtinenti, etiam conferatur Præbenda, seu competentis portio fructuum Canonicalium. — 4. Si quis enim simpliciter in *Canonicum* receptus fuerit antequam reditus Canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere Canoniam, hoc est Canoniam, nondum vero Præbendam. — 5. Si quidem Præbenda ulterius importat Jus ad percipiendos fructus annuos Canonice, sive debitos ex titulo Juris Canonicalis. Unde qui habet utrumque, is *Canonicus Præbendarius* appellatur. — 6. *Canonicus* nomen idem est ac *Regularis*: venit enim a voce Græca *Canon*, quæ regulam significat. — 7. *Canonicorum* prima origo fuit in Monastica Disciplina. — 8. Hinc Sanctus Augustinus ad communem vitam in Domo Episcopali Sacerdotes, et Diaconos congregavit, cujus exemplum secuti sunt plurimi Africae Episcopi, et illi Sacerdotes, et Diaconi pro ministerio suo Distributiones honorum Ecclesiæ accipiebant. — 9. Tuncque primum *Canonicus* dicti sunt illi, qui eas recipiebant, eo quod Ecclesiæ adscripti vitam *Canonicam* conformem ducerent. — 10. Et ipsis etiam fundos per vitam suam possidendos assignabat Episcopus, et sic *Canonicorum*, et *Præbendarum* origo, nomen et usus, invaluit. — 11-17. Quare *Canonicus* dicti sunt. — 18-20. De Regula Crodegangi. — 21-24. De origine Collegiarum. — 25-28. *Canonicorum Regularium* origo. — 29-34. In quo differat præbenda a Canoniam. — 35. Rursus de *Canonicorum* nomine. — 36, 37. De ratione iorum institutionis. — 38-42. De *Canonicorum* Collegiis, deque Capituli nominis origine. — 43, 44. Unde sæculares dicti.

ARTICULUS II. — *Canonicatus quoad Collationem et possessionem.*

1. De Jure collatio *Canonicatum* in Ecclesiis Cathedralibus simultanee spectare præsumitur ad Episcopum et Capitulum. — 2. Consuetudo tamen in contrarium attendi debet, videlicet, quod ad solum Episcopum privative quoad Capitulum, vel e converso ad solum Capitulum privative quoad ipsum Episcopum collatio, seu provisio pertineat. — 3. Consuetudo *Canonicatus*, et Dignitates conferendi a Capitulo irrequisito Episcopo probatur ex collationibus factis tantum ab eodem Capitulo. — 4. Quæ consuetudo ad exclusionem simultaneæ collationis præscribitur spatio 40 annorum. — 5. Nondum in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in Ecclesiis Collegiatis sæcularibus collatio, seu provisio *Canonicatum* spectat simultanee ad Episcopum, et Capitulum. — 6. Nec pertinet ad solum Episcopum. — 7. Nisi consuetudine, aut pacto dictos *Canonicatus* conferendi facultatem acquisiverit. — 8. Quo casu Episcopus habens vigorem pacti, aut consuetudinis facultatem conferendi *Canonicatus* Ecclesiæ Collegiatae excludit reservationem in vim alternativæ. —

nes Ecclesiasticarum regularum, et Panormiam vel Pannormium evulgavit. Sunt et alii qui in colligendis Canonibus operam posuerunt, sed de omnibus dicere longum esset.

9. Quando *Canonicatus* sunt simultaneæ collationis, Indultum concessum Ordinario suffragatur etiam Capitulo. — 10. Imo quando est simultanea electio, seu collatio inter Ordinarium, et Capitulum, si Ordinarius reperitur exemptus a regula octava *Cellaræ*, hæc exemptio prodest etiam Capitulo. — 11. In his collationibus simultaneis Episcopi, et Capituli tantam potestatem habet Episcopus solus per se, quantam habet totum Capitulum, et e contra. — 12. Si Episcopus conferat uni, et Capitulum alteri, neutra collatio valebit. Unde cum neutra collatio valeat, si Papa provideat tertio, etiam sequenti die ille dicitur habere potius Jus, et ejus possessio erit bona. — 13. Imo stante discordia inter Episcopum, et Capitulum, Papa non tenetur conferre tale Beneficium uni vel alteri nulliter per Episcopum, et Capitulum provisum, nec gratificari digniori. — 14. Sede Episcopali vacante, vel Episcopo a Beneficiorum collatione suspensio, stante simultanea, collatio spectat ad Capitulum jure proprio. Sicut e contra effecto inhabili Capitulo, collatio jure proprio spectat ad Episcopum. — 15. Possessio *Canonicatus*, sive dignitatis, quæ sit de Capitulo, capitulariter capi debet. — 16. Aliter si non sit capitulariter capta, est nulla, nec est manutenibilis. — 17. Imo possessio non capitulariter capta de *Canonicatu*, non suffragatur, quamvis fuisset capta de mandato *Executoris Litterarum Apostolicarum*. — 18. Ut possessio dicatur capitulariter capta, debet convocari Capitulum ad sonum Campanæ. — 19. Quæ si sit capta sine prævio sono Campanæ, non dicitur capitulariter capta, et est nulla, de cujus soni attestatione non statuitur depositioni Notarii sine testibus. — 20. Possessio, ut dicatur capta, debet *Canonicus* sedere in sede propria *Canonicatus*, de quo agitur, et non in alia. — 21. Capta hora *Missarum* cum assignatione stali in Choro, et loci in Capitulo, est sufficiens. — 22. Habetur possessio pro capitulariter capta, si Capitulum sine justa causa eam tradere recusavit. — 23. Ita ut Capitulo alleganti justam causam incumbat onus eam probandi. — 24. Habetur etiam pro capitulariter capta, si prima Dignitas demandavit convocari Capitulum, et vocati noluerint intervenire nisi duo, vel tres *Canonicus*, in quibus dicitur residere totum Jus Capituli. — 25. Imo Capitulum potest representari in unico *Canonicus* in casu traditionis possessionis *Canonicatus*, et omnibus *Canonicis* injuste reluctantibus, potest possessio tradi ab unico *Canonicus*, et sic tradita, et capta est manutenibilis. — 26. Aliquo impedimento existente, propter quod possessio capitulariter capi non possit, sufficit, si aliter capiatur. — 27. Possessio *Canonicatus*, quod sit legitime capta, justificatur ex actibus *Canonicis* per *Canonicum* gestis cum presentia, et patientia Capituli. — 28. Hinc *Canonicus* si successive post adeptam possessionem non capitulariter captam ex patientia *Canonicorum* ad actus *Canonicos* *Canonicis* tantum competentes admissus fuerit, tunc censetur legitimus possessor. — 29. Talis autem patientia Capituli, seu *Canonicorum* non sufficit ad validandam possessionem in præjudicium tertii, qui inter actus prædictos *Canonicos* apprehendit possessionem capitulariter. — 30. *Canonicatum* injuste possidens superveniente sibi novo titulo valido potest continuare possessionem ipsam de facto, mutato solum primo jure, et titulo possessionis; quæ mutatio ipso jure statim facta intelligitur

data notitia secundi tituli etiam absque alia declaratione. — 51. Imo si Canonicus falsus diu steterit in possessione, et deinde a Papa obtinuerit provisionem, non est necessaria nova apprehensio, et installatio. — 52. Pro admissione ad possessionem Canonicatum, aut Præbendarum, et Distributionum quotidianarum sunt prohibita conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra. — 53. Dulciaria multa sunt de genere prohibitorum a Concilio Tridentino, ab aliquo Capitulo exigendorum pro admissione in possessionem alicujus novi Canonici. — 54. Neque dulciaria quedam vulgo nuncupata *Confetture* possunt exigi pro admissione ad possessionem Canonicatus, etiam concurrente consuetudine antiquissima. — 55. Unde consuetudo donandi aliqui in ingressu, et admissione alicujus ad Canonicatum est sublata per Concilium; prout et illa, secundum quam provisi solvunt cæteris prandium, et talis consuetudo est abolenda. — 56. Sic consuetudo, quæ imponit onus recepto in Canonicum, quod tendat in utilitatem Canonicorum, etiamsi convertatur in reparationem, et restaurationem prædiorum, molendinorum, et quorumcumque honorum mensæ Capitularis, est reprobata per Concilium. — 57. Unde nec Episcopus cum consensu Capituli statuere potest, ut aliquid minimum solvatur in ingressu Canonico- rum. — 58. Nec Episcopis licet quidquam sibi accipere pro collatione Canonicatus, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili. — 59. Non reprobantur autem statuta, et consuetudines de serviendo per annum, vel aliquod tempus, et nihil percipiendo interim de Massa grossa nisi peracto integro dicto servitio. — 60. Si in Ecclesiis illis, in quibus adest consuetudo, ut Clerici, et Presbyteri Canonici antequam admittantur ad participationem Massæ, debeant inservire per plures annos, et Missas celebrare gratis, est servanda. — 61. Valet etiam, et servanda est consuetudo Ecclesiæ Astensis, quod fructus spectent ad Capitulum, donec Beneficiatus sit Sacerdos. — 62. Observanda est Constitutio facta per Episcopum, et Capitulum post Concilium Tridentinum ad solvendam certam quantitatem ratione novæ possessionis Canonicatum, quæ integra cedat in fabricam Ecclesiæ. — 63. Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus, fructus Canonicatus sint heredum antecessoris, iste casus non comprehenditur in prohibitione. — 64. Clericus quamvis ignobilis, et parum scientificus eligi, seu præsentari potest in Canonicum Cathedralis, et in possessionem debet admitti, etiamsi dicta Cathedralis ab immemorabili non consueverit tales admittere. — 65. De Collectione Canonicatum de jure spectante ad Episcopum. *Remissive.* — 66-68. De impedita possessione Canonicatus. — 69-73. An aliquid exigi possit pro Canonicatus possessione. — 74-75. De Episcopi et Capituli concurrentia in Canonicorum electione. — 76. De potestate Episcopi in erectione Canonicatum de Jurepatronatus. — 77. Formula erectionis et collationis hujusmodi Canonicatus. *Remissive.*

ARTICULUS III. — *Quoad Ætatem in Canonicis et Dignitatibus requisitam, et quoad tempus intra quod tenentur suscipere Ordines suis Canonicatibus et Dignitatibus adnexos.*

1. Ætas requisita, et sufficiens ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Collegiata, est ætas 14 annorum. — 2. Et hoc est intelligendum, si talis Canonicatus Ecclesiæ Collegiatae ex sua foundatione, vel statuto, aut consuetudine nullum requirat Sacrum Ordinem. — 3. Et hæc ætas 14 annorum sufficit etiam in Collegiata, in qua spectat Cura animarum Canonici non uti singulis, sed uti unitis. — 4. Si vero Cura animarum totaliter spectet ad ali-

quem Canonicum, vel Dignitatem particularem, requiritur ætas 25 annorum, saltem inceptorum. — 5. Hæc tamen ætas 25 annorum inceptorum requisita ad obtinendos Canonicatus, seu Dignitates, quibus subest Cura animarum, non exigitur, nec est necessaria, quando Canonicatus, vel Dignitati Cura animarum non subest principaliter, sed solum accessorie est ipsi unita. — 6. Circa ætatem requisitam ad dignitates sine Cura in Collegiatis. *Remissive.* — 7. Ætas requisita et sufficiens ad Canonicatus Cathedralis, ubi est facta distributio Sacrorum Ordinum, est illa quam exigit Ordo canonicatus. — 8. Ad Canonicatus autem Cathedralis, ubi non est facta distributio Sacrorum Ordinum, requiritur ætas annorum 22 inceptorum. — 9. Ætas requisita ad Dignitates, vel Personatus, quibus nulla subest Cura animarum in Cathedralibus est ætas 22 annorum. — 10. Ætas vero requisita ad Dignitates, seu Canonicatus, quibus subest Cura animarum, seu regimen Parochiale, est ætas 25 annorum saltem inceptorum. — 11. Et hæc ætas 25 annorum inceptorum requiritur etiam ad Dignitatem Ecclesiæ Cathedralis, cui fit distributio Missæ cantatæ per turnum infra hebdomadam. — 12. Canonici supernumerarii possunt recipi in anno 14; sed adveniente tempore Præbendæ debent esse in ætate integra. — 13. Canonici, qui in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis obtinent Canonicatus, Dignitates, vel Personatus, quibus aliqui Ordines sunt adnexi, tenentur eundem Ordinem requisitum intra annum suscipere. — 14. Adeoque promoti ad Canonicatus, Dignitates, vel Personatus debent in ea ætate constituti esse, ut infra annum possint ad Ordinem requisitum promoveri. — 15. Aliter promoti, seu provisio erit nulla. — 16. Et annus hujusmodi statutus ad se promoveri faciendum ad Sacros Ordines computari debet non a tempore collationis factæ, sed a die habitæ pacificæ possessionis, dummodo per provisum non steterit, quamvis antea possessionem perceperit. — 17. Canonici, qui ad Sacros Ordines suis Canonicatibus, Dignitatibus, vel personatibus adnexos se intra annum, justo impedimento cessante, promoveri non faciunt, ex tunc donec promoti fuerint, privantur voce in Capitulo, et dimidia parte Distributionum. — 18. Imo Canonici ad requisitos Ordines infra annum non promoti, possunt aliis pœnis, etiam privationis puniri. — 19. Pœna privationis dimidiæ partis Distributionum, quam incurrit Canonici requisitos Ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis intersint Divinis et Officium recitent. — 20. Nec valet consuetudo, quod Canonici residentes non priventur tali dimidia parte Distributionum, licet intra annum ad requisitos Ordines non sint promoti. — 21. Pœna privationis dimidiæ partis Distributionum, quam incurrit Canonici requisitos Ordines intra annum non suscipientes, locum habet, quamvis reliqua dimidia pars, quæ superest, non sufficiat ad sustentationem Canonici. — 22. Talis autem privatio dimidiæ partis Distributionum intelligenda est de eis solummodo Distributionibus, quæ proprie, et strictè Distributiones quotidianæ dicuntur, non autem de extraordinariis, quæ dantur pro funeralibus seu anniversariis Defunctorum. — 23. Nisi Distributiones funeralium, seu anniversariorum sint unitæ cum Horis. — 24. Nullam tamen pœnam incurrit Canonici, si ad Ordines requisitos non promoveantur intra annum propter justum impedimentum. — 25. Nec etiam ullam talem pœnam incurrit Canonicus dispensatus a Papa, ut in ætate v. g. sexdecim annorum, vel in alia sufficienti Canonicatum in Cathedrali obtinere possit. — 26. Canonicus autem dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum, si promoveri non curavit ad Ordinem, postquam ad legitimam ætatem pervenit juxta formam in dispensatione præscriptam, Distributiones non acquirit quamvis Choro inserviat. — 27. Canonicus tamen a Sede Apostolica super

ætate dispensatus non prius cogendus est ad Sacros Ordines promoveri, quam ad 22 annos pervenerit. — 28. Canonicus in Sacris non constitutus vocem in Capitulo aliquo pacto acquirere, seu præscribere non potest. — 29. Canonicus non Subdiaconus nec vocem consultivam in electionibus, et Synodo habet. — 30. Præsides vero in Capitulo, etiamsi non sit in Sacris, in eo proponere, ac resolutiones accipere potest. — 31. Prælato Ecclesiæ Collegiatae etiamsi Sacris Ordinibus careat, presidentia, ac vox in Capitulo competit. — 32. Canonicus in Ecclesia Collegiata habens Canonicatum, cui neque jure communi, neque ex consuetudine, institutione, aut statuto adnexus est aliquis Ordo, præsertim Sacer, obtinere potest, et percipere Distributiones licet nunquam hujusmodi Sacrum Ordinem suscipiat, sed simplex Clericus remaneat. — 33. Ipse tamen Canonicus in Collegiata, nisi sit in Sacris, vocem in Capitulo habere non potest. — 34-37. De ætate Canonico- rum. — 38. De onere suscipiendi Sacros Ordines. *Remissive.*

ARTICULUS IV. — *Canonici, et Dignitates, quoad Fidei professionem, et pœnas eam omittentium.*

1. Canonici et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. — 2. Hanc Fidei professionem sufficit facere coram Vicario, etiam Episcopo non impedito. — 3. Nec est necessarium, ut hæc Fidei professio prius fiat coram Episcopo vel ejus Vicario, et postea coram Capitulo, separatim repetatur; sed si Episcopus adsit in Capitulo, satis est, ut Episcopo præsentem semel fiat in Capitulo. — 4. Sede Episcopali vacante non sufficit hanc Fidei professionem facere coram solo Capitulo, sed debet etiam fieri coram Vicario Capitulari. — 5. Hanc Fidei professionem Canonici et Dignitates Cathedralis tenentur facere per se ipsos personaliter, et non sufficit per Procuratorem. — 6. Et dato, quod provisus Canonicus præsens in Curia non possit statim ad residendum accedere, solet tunc Sacra Congregatio Concilii illum admittere ad professionem Fidei coram et in manibus Datarii, vel Cardinalis Præfecti Sacre Congregationis, et etiam coram Urbis Vicario; non obstante, quod in Litteris provisionis adsit Decretum emittendi in manibus Episcopi. — 7. Hanc Fidei professionem tenentur denuo facere etiam illi Canonici, qui jam antea emiserunt in adeptione alterius simili beneficii. — 8. Imo tenentur iterum prædictam Fidei professionem emittere etiam illi, qui denuo adipiscuntur in Cathedralibus Ecclesiis Canonicatum, vel Dignitatem quam antea habuerant, et dimiserant, non obstante priore Fidei professione. — 9. Hæc Fidei professio fieri debet saltem intra duos menses a die adeptæ possessionis Dignitatis, vel Canonicatus in Ecclesia Cathedrali. — 10. Et hic terminus duorum mensium datus ad emittendam professionem non currit proviso, qui non accepit possessionem; quamvis per eum stet, quominus eam accipiat. — 11. Imo ad effectum, ut incipiant currere prædicti duo menses, non sufficit fuisse adeptam possessionem, sed requiritur possessio pacifica. — 12. Si vero intra prædictos duos menses a die adeptæ realiter pacificæ possessionis talis Canonicus non emiserit dictam Fidei professionem, non per hoc solutus est ab obligatione illam in posterum emittendi. — 13. Canonici, et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur ultro sese offerre ad faciendam Fidei professionem, adeo ut non requiratur ad hoc prævia monitio. — 14. Canonici, et Dignitates Cathedralis omittentes facere debitam Fidei professionem peccant mortaliter. — 15. Non peccant tamen mortaliter, si per ignorantiam, inadvententiam, aut oblivionem, ipsam facere omittant. — 16. Canonici et Dignitates Cathedralis non facientes Fidei professio-

nem intra duos menses a die adeptæ possessionis, ultra peccatum mortale, incurrit etiam fructuum amissionem. — 17. In hac tamen pœna amissionis fructuum, non includuntur Distributiones quotidianæ. — 18. Nisi tamen omnes redditus Canonicatus consistant in Distributionibus quotidianis. — 19. Prædicta pœna amissionis fructuum intelligenda est solum de fructibus decurrendis post lapsum duorum mensium, non vero de decursis in ipsis duobus mensibus. — 20. Professio Fidei ex post facta, non proficit ad recuperandos fructus amissos post dictos duos menses, sed solum ad acquirendos futuros. — 21. Fructus Canonicatus, et Dignitatis ob omissionem professionis Fidei non acquisiti, debent applicari in usus pauperum, vel in fabricam Ecclesiæ Beneficii, si indigeat. — 22. Intellige tamen hoc solum verificari in Canonici et Dignitatibus habentibus fructus distinctos et separatos a mensa Capitulari. — 23. Nec Episcopus potest condonare hujusmodi fructus amissos ob non factam fidei professionem. — 24. Sed talium fructuum condonatio, et remissio potest fieri solummodo a Sancta Sede, vel Sacra Congregatione. — 25. Licet Canonici Cathedralis omittentibus Fidei professionem possessio Canonicatus nihil suffragetur, quoad fructuum perceptionem. — 26. Ipsa tamen possessio Canonicatus suffragatur eis, quoad titulum, et proprietatem talis Canonicatus, et quoad vocem habendam in capitulo, et jus præcedentia, et cætera alia jura a die adeptæ possessionis. — 27. Unde possessores Dignitatum, vel Canonicatum in Cathedralibus, qui non fecerunt Fidei professionem intra duos menses, juvantur regula de triennali ad effectum, ne possint molestari super titulo. — 28. Quoad fructus tamen retinendos non suffragatur, nec eis prodest etiam longissima possessio, quandiu professionem Fidei non emiserint. — 29. Unde Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiæ tenentur in conscientia, etiam ante sententiam Judicis restituere ipsos fructus amissos ob non factam Fidei professionem. — 30. Coadjutores Dignitatum, et Canonicatum Cathedralium de rigore Juris communis, seu concilii Tridentini non tenentur emittere professionem Fidei. — 31. Nec tamen Fidei professionem tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisores de Capellanis in Ecclesia Cathedrali. — 32. Nec ad ipsam Fidei professionem emittendam tenentur Jure Tridentini canonici, et Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, et possidentes Beneficia inferiora non Curata. — 33. Supradicti tamen, et cæteri Beneficiati tenentur ipsam emittere, vigore Diocesanarum Legum. — 34. Professio Fidei. *Remissive.* — 35. Dubium tamen adhuc est an liceat Fidei professionem per interpretem emittere. — 36. Consuetudo non præscribit contra legem emittendi fidei professionem.

ARTICULUS V. — *Canonici, quoad residentiam, Chorum et Missam.*

1. Canonici, sive Cathedralium, sive Collegiatarum tenentur saltem per novem menses residere in Ecclesiis sui Canonicatus, ita ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse. — 2. Menses tres, quibus Canonici quolibet anno abesse possunt, continere debent nonaginta dies, ita ut quilibet mensis suos triginta dies contineat; et dies isti possunt esse, vel continui, vel interpolati. — 3. Ita tamen, ut non omnes Canonici possint simul abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur omni servitio, sed solum ea quota Canonico- rum simul abesse possit, quæ videbitur arbitrio Episcopi, vel Capituli. — 4. Hujusmodi tres menses non debent incurrere in Natale, Pascha, vel similes maximas solemnitates, aut in tempore Adventus, et Quadragesimæ, aut in dies Dominicos et Festos totius anni. — 5. Ad conficiendum spatium trium mensium, non sunt computandæ horæ cujuslibet diei, sed dies integri absentia tantum. Neque ad constituendum servitium

novem mensium colligenda sunt punctaturae, quasi ii, qui novem partes punctaturam ex duodecim, quae ex servitio totius anni conflantur, deseruendo tulerint, servitio punctaturarum debito satisfacerint, sed ipsi dies residentiae, et servitii sive continui fuerint, sive interpolati numerandi sunt, ut compleant numerum dierum novem mensium. — 6. Unde statutum Ecclesiae permittens, ut Canonici propter loci frigiditatem, et aeris intemperiem in uno ex novem mensibus residentiae, uni Horae tantum quotidie intersint pro lucrands fructibus illius mensis, est quidem contra Tridentinum, adeo ut non interestes omnibus Horis in praedicto mense amittant illam ratam fructuum, quam amitterent in aliis octo mensibus singulis Horis non interessendo; non tamen incidunt in poenam latam ab ipso concilio, quasi abfuissent ultra tres menses. — 7. Fundationum privilegii, quibus ultra tres menses canonicus abesse licet, non est derogatum a Tridentino. — 8. Nec ab ipso Tridentino sunt sublata statuta a Summo Pontifice confirmata, ut Canonici abesse possint ultra tres menses. — 9. Imo cum postea dubitatum fuisset, an per Concilium esset sublatum quoddam statutum Ecclesiae Eborens. ante ipsum concilium a Sede Apostolica confirmatum, ut Canonici semel in vita, anno abesse possint Jerusalem proficisendi causa, et sex mensibus cum Basilicam Sancti Petri quolibet quinquennio visitare vellent? Sacra Congregatio respondit non esse sublatum. — 10. Ut Canonici abesse possint tribus mensibus a Concilio permittis, nec Episcopi, nec Capituli licentia, nec causa requiritur, et possunt Canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis. — 11. Licet autem Canonici possint libere, et licite abesse illis tribus mensibus, non tamen pro eo tempore lucrantur Distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos, seu Praebendam. — 12. Potest Episcopus ob legitimam causam dare Canonicis suis facultatem, ut possint abesse per quatuor menses. — 13. Si per specialem aliorum Ecclesiarum Constitutionem aut consuetudinem, longius servitii tempus requiratur, non est liberum canonicis per tres menses abesse. — 14. Dato tamen, quod alicujus Ecclesiae constitutio, aut consuetudo requirat servitium totius anni, tunc licitum est Canonicis per tres menses abesse. — 15. Canonici non residentes per novem menses, seu per majus tempus sibi a sua Ecclesia Constitutum, incidunt in poenas Concilii Tridentini. — 16. Assignantur dietae poenae. — 17. Canonici, qui ob absentiam, in poenam privationis fructuum incidunt, non tenentur istos in conscientia restituere ante sententiam condemnatoriam Judicis. — 18. Ad incurrendam a Canonici non residentibus poenam privationis fructuum, non est opus praevia monitione, ut resideant. — 19. Fructus illi, quibus privandi sunt Canonici non residentes pro constituto tempore, debent applicari in usum et fabricam Ecclesiae, si indiget, alias alteri pro loco arbitrio Ordinarii. — 20. Poenarum gradus contra canonicos non residentes a Concilio praescripti sunt necessario servandi, antequam deveniatur ad privationem: alias ipsa privatio, seu sententia privationis erit nulla. — 21. Secundum antiquos Canones, Canonicus absens privari poterat Beneficio, si infra congruum terminum sibi praefixum ad residendum, non redisset. — 22. Ex nova tamen dispositione Concilii Tridentini Canonicus ob absentiam privari non potest titulo, nisi post lapsum trium annorum. — 23. Canonicus absens, postquam juxta Concilium fuit privatus pro primo anno medietate fructuum, et pro secundo anno omnibus fructibus, si sine legitimo impedimento sit adhuc contumaciter absens, debet canonicè citari, ut redeat ad residendum, et post ultimam citationem per sex menses expectari. — 24. Quibus elapsis, si sine legitimo probato impedimento Canonicus residere contempserit, non amplius privandus est fructibus, sed Beneficio est om-

nino spoliandus. — 25. Dantur ad id Decreta Sacrae Congregationis Concilii. — 26. Ut possit procedi ad privationem Canonicatus contra Canonicum non residentem, expectandum est triennium completum. — 27. Pendente tamen ipso triennio, potest Episcopus praevias citationibus contra Canonicos absentes procedere per Censuras, illosque suspendere, et excommunicare, non obstante, quod inchoata sit via Judicii praescripta a Tridentino. — 28. Poenae Canonicorum non residentium possunt infligi etiam contra Canonicos Coadjutores cum futura successione. — 29. Poenas contra Canonicos non residentes, non potest Episcopus remittere in totum, bene tamen ante sententiam minuere, vel augere. — 30. Canonici, si novem mensibus anni absque legitima causa a residentia notabiliter absint, ultra supradictas poenas, incurunt etiam, secundum multos, culpam mortalem. — 31. Imo secundum aliquos non excusantur a culpa mortali, quamvis velint quotidianas Distributiones amittere. — 32. A culpa mortali tamen eos excusant varii alii; dummodo habeant animum cedendi distributiones tempore absentiae, et non deficiant in contemptum, aut contra praecipuum Superioris; vel ex eorum defectu non omittatur Officium in Ecclesia, aut non dicatur cum debita solemnitate. — 33. Dantur tamen aliquae legitimae causae omnino excusantes a continua residentia; et istae generatim loquendo sunt quatuor; scilicet Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas. — 34. Ad primam causam *Christianae Charitatis, seu pietatis*, pertinet, si Canonicus a loco Beneficii, seu Canoniciatus discoeat, causa juvandi proximum auxilio indigentem, v. g. ad dirimendas lites, ad sedanda odia, quae inter quosdam sint suborta, et hujusmodi. — 35. Ad secundam causam *urgens necessitatis* pertinet, si Canonicus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, vel ad effugendam Tyranni persecutionem, seu devitando capitales inimicitias contra ejus personam subortas; vel ad prosequendam litem super Juribus Canonicatus; aut ob piam peregrinationem, seu similem honestam causam, impetrata tamen licentia Praelati. — 36. Ad tertiam causam *debitae obedientiae* pertinet, si Canonicus absit a residentia de mandato Papae, ut in Apostolicae Sedis servitio occupetur. — 37. Ad quartam causam *evidentis Ecclesiae, seu Reipublicae utilitatis* pertinet, si Canonicus absit ob negotium, et servitium Ecclesiae; vel causa adeundi Synodum Generalem, seu provincialem, aut Dioecesanum, vel causa studiorum. — 38. Speciatim etiam conceditur, ut duo Canonici in servitio Episcopi occupati pro residentibus habeantur. — 39. Et isti duo Canonici possunt ab Episcopo assumi, sive ex Cathedrali, sive ex Collegiata. — 40. Canonici ex justa causa absentes non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemorabili consuetudine. — 41. Canonici tenentur recitare Officium in Choro; nec ipsis potest Episcopus concedere, ut officient in Sacristia. — 42. Potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus, extra Chorum arbitrio Episcopi recitari Divinum Officium diebus ferialibus; in diebus vero festivis omnino recitandum est in Choro. — 43. Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. — 44. In Choro non est a Canonicis inchoandum Officium statim signo dato, sed elapsa tertia parte horae. — 45. Et dato ipso signo debent Canonici in Choro Officium inchoare, non expectato Vicario. — 46. Canonici sub onere, et obligatione restitutionis fructuum tenentur psallere, seu canere in Choro cum aliis, et non satisfaciant, si solum assistant, et intersint Horis, et per Cappellanos, et alios Beneficiarios psallant: ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitent Horas. — 47. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in Choro; et Episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non

cogere. — 48. Canonici non tenentur ad harmoniam modulationem cantus figurati, sed satisfaciunt in magnis Festivitatibus, in quibus Ecclesia eo cantu utitur, assistendo cum debita attentione Cantoribus. — 49. Canonici, qui solebant cantare Matutinum una hora post ortum solis, non sunt cogendi, ut Matutinum ante ortum solis cantent. — 50. Canonici, quamvis pauci sint, puta duo vel tres, tenentur canere, seu recitare Officium in Choro, alias possunt ab ordinariis Distributionibus punctatura privari. — 51. Canonici tenentur recitare in Choro Officium Defunctorum, Psalmos Graduales, et Penitentiales solum juxta Constitutionem S. Pii V et non alias. — 52. Et qui praedicta non recitant, minime peccant. — 53. Canonici recitantes in Choro Officium B. Virginis Mariae in Semiduplicibus, et Dominicis ex consuetudine, illa deinceps uti possunt, non obstante Rubrica Breviarii. — 54. Canonici recitantes Officium parvum B. V. M. tempore Paschali, debent recitare sine Alleluia. — 55. Canonici tamen non tenentur recitare in Choro Officium Beatae Virginis Mariae, ubi non est consuetudo. — 56. Imo a S. Pio V sublata est peccati obligatio, quae erat recitandi in Choro officium parvum B. V. M. Psalmos Penitentiales, et Graduales juxta Rubricas Breviarii. — 57. Canonicos cogere potest Episcopus ad praestandum juramentum de fideliter punctando in Choro. — 58. Canonici non possunt exire a Choro, nisi petita venia Archidiacono, seu Presidenti per salutationem, sub poena punctationis. — 59. Canonici confabulantes in Choro sunt punctandi, et privati distributionibus tanquam absentes. — 60. Canonici, et Dignitates non debent in Choro habere stratum, sive tapetum. — 61. Canonici in Choro, vel in Ecclesia Divinis Officiis interestes sine habitu Canonicali, et superpelliceo, debent punctari. — 62. Canonici non debent permittere, ut Laici, dum Divina celebrantur, stent, vel sedeant in Choro. — 63. Canonicum, vel Capellanum potest Ordinarius excusare a Choro ex causa justa comprehensa in cap. *Unic. de clericis non residentibus* in 6 sine consensu aliquorum Canonicorum, et Cappellanorum. — 64. Canonicus Junior in Choro juxta consuetudinem Ecclesiae debet supplere vices Hebdomadarii absentis vel impediti; et non Coadjutor, licet seledat post ultimum Canonicum. — 65. Canonici tenentur quotidie ad canendam Missam Conventualem, idque sub mortali. — 66. Et Missam Conventualem canendam esse quotidie in Cathedralibus et Collegiatis, pluries decrevit Sacra congregatio Rituum. — 67. Et etiam in illis diebus, quibus cantant aliquam Missam votivam; non enim pro Missa votiva omitti potest Missa Conventualis. — 68. Et abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die, ultra votivam, seu pro Defunctis. — 69. Unde licet in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam votivam de B. M. V. singulis diebus Sabbati possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Festo duplici impeditis, non est tamen mittenda Missa Conventualis. — 70. Praeterea Missa Conventualis in Quadragesima, Adventu, Quatuor Temporibus, et similibus, etiam quod in dictis diebus occurrat Festum Duplex, non est mittenda, sed utraque Missa, nempe de Sancto, et de Feria est celebranda. — 71. Sic pariter respondit Sacra Congregatio Rituum in una Faventina. — 72. Sic etiam censuit Sacra Congregatio Concilii in una Sarnensi. — 73. In Cathedralibus, et Collegiatis non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicorum. — 74. Missa Defunctorum cantari debet a Canonicis juxta legem fundationis etiam in illis diebus, in quibus ex praescripto Missalis cantatur alia Missa pro Defunctis. — 75. Nec propter anniversarium, seu aliam Missam Defunctorum, potest omitti Missa Conventualis cantanda de die, seu Officio corrente. — 76. Canonici pro Missa Conventuali, quam quotidie celebrare, et

Sacrificium pro Benefactoribus, et Fundatoribus applicare tenentur, nullatenus possunt vicem eleemosynam recipere, non obstante consuetudine, nec tenuitate reddituum. — 77. Pro hujusmodi Missa Conventuali debetur Canonicis Distributio ex Massa communi. — 78. Canonicus, qui Missam solemnem celebrat die Dominico, tenentur Officium Vesperarum facere eodem die post prandium, non obstante quacunque contraria consuetudine. — 79. Canonicus, vel alius Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam proseguere eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum praedictum. — 80. Nec est faciendum Altaris thurificatio in Missa Conventuali diebus solemnibus, si absque cantu, et Ministris celebratur. — 81. Canonicus Missam celebrans in Ecclesia, vel ex devotione, vel ex obligatione tempore, quo cantatur una Hora in Choro, non dicitur interfuisse illi Horae; nec illius Distributiones accipere potest, nisi in illa hora ad celebrandam Missam ab eo, ad quem pertinet, compulsus, et jussus fuerit. — 82. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo, non debent sedere in Sede cum postergali, sed in scamno oblongo, tapeto, vel panno cooperto, in latere Epistolae. — 83. Canonici, et Dignitates, tenentur per seipsos Divina Officia obire, nec non Missas Majores canere illis diebus, quibus ad eas decantandas obligati sunt. — 84. Canonici, et Dignitates in decantatione Missae, Evangelii, Epistolae, et in functione similium, debent per seipsos subire, et exercere munera incumbents, et annexa. Quod si aliqui legitimo impedimento detenti, ea per seipsos adimplere non poterint, tunc alios ejusdem tamen Ordinis, et gradus deputare debent. At hoc non videtur observari. — 85. Missas Pontificales celebrare, absente Episcopo, pertinet ad primam Dignitatem, vel ad secundam, vel ad antiquiorem Canonicum, non autem ad Canonicum Hebdomadarium. — 86. Si vero sit consuetudo immemorabilis, quod ad Canonicum Hebdomadarium vel ad Archipresbyterum, licet non sit prima Dignitas, vel ad aliam Dignitatem, hujusmodi functiones spectent, servanda est consuetudo, quae non tollitur per Caeremoniale. — 87. Canonicum solemniter celebranti pro Diacono, et Subdiacono inservire debent pariter Canonici, non obstante immemorabili contraria consuetudine, quae peius est abusus, et corruptela. — 88. Dignitas prima, si velit functiones episcopales facere, debet etiam Missam cantare, alias pertinent ad subsequentes cum eadem conditione. — 89. Dignitas prima, quae vult portare Sanctissimum Sacramentum in Processione, absente Episcopo, debet Missam cantare. Quod si noluerit, debet Sanctissimum Sacramentum portare ea Dignitas, vel Canonicus, qui Missam celebraverit. — 90. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante Processionem Sanctissimi Sacramenti, et deinde altera Dignitas Minor gestet illud in Processione. — 91. Canonici non supplent vices Prototonariorum, et aliorum inferiorum, sed bene vices dignitatum. — 92. Canonici et Dignitates, quae habent annexam Praebendam, cum onere cantandi Epistolam, sive Evangelium, non tenentur ministrare inferioribus. — 93. Canonici non sunt cogendi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, quando alius Canonicus, seu Dignitas celebrat, nisi quando praebendae sunt distinctae. — 94. Canonici, qui habent Praebendas Diaconales, vel Subdiaconales, tenentur ministrare, et inservire Dignitatibus, et aliis Canonicis, quando Missas celebrant solennes, vel Vesperas. — 95. Canonici Diaconi, et Subdiaconi in quibusdam solemnitatibus, etiam non celebrante Episcopo, cogi possunt ad cantandam Epistolam, et Evangelium, non obstante quocunque praetextu vel consuetudine in contrarium. — 96. Canonici tamen non tenentur, nec debent cogi ministrare in Officio Diaconi, vel Subdiaconi Mansio-